

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELI

Themata sermonis

Evangelium in dominica sexta post Pentecosten: *Nisi abundaverit iustitia vestra, quod in tribus clausulis dividitur.*

In primis sermo de Ecclesiae praelatis et praedicatoribus et qualis eorum debet esse vita, ibi: *In basibus templi erant sculpta.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de iustitia hypocritarum et vere poenitentium, ibi: *Nisi abundaverit, et ibi: Eligite vobis bovem unum.*

Item contra superbum religiosum, ibi: *Si bos cornupeta fuerit.*

Item de iustitia poenitentium, ibi: *Elias aedificavit altare.*

Item de Passione Christi, ibi: *Quicumque baptizati sumus.*

Item de contemptu mundi et fuga in desertum, ibi: *Fuge, dilecte mi.*

DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo contra iracundos, ibi: *Adonias filius Haggith.* Hic de natura basilisci et ipsius significatione.

DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de quadruplici altari, ibi: *Si offers munus tuum.*

Item sermo de devotione mentis, ibi: *Facies altare ad adolendum thymiama.*

Item sermo de quadruplici munere et quadruplici fratre, ibi: *Si offers munus tuum etc.*

Exordium. Sermo de Ecclesiae praelatis et

praedicatoribus

1. --- In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum (Mt 5, 20).*

Dicitur in tertio libro Regum, quod in basibus templi erant sculpta cherubim, leones, boves et lora dependentia (Cf. 3 Reg 7, 27-29). Nota quod tria ad fabricam domus sustinendam conveniunt, scilicet capitella, columnae et bases. Capitella dicta, quasi capita columnarum, fuerunt prophetae, de quibus dicitur in tertio libro Regum: *Capitella quae erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant (3 Reg 7, 19).* Per liliam superna claritas aeternae patriae et immortalitatis, floribus redolens, paradisi designatur amoenitas, quam prophetae, apostolorum patres, in suis prophetiis nobis ediderunt.

Columnae fuerunt apostoli, de quibus dicitur: *Ego confirmavi columnas eius (Ps 74, 4).* Unde in tertio libro Regum Salomon erexit columnas, unam vocavit Iachin, quod interpretatur firmitas, et alteram Booz, id est in robore. Per istas duas columnas apostoli designantur, qui bene duae columnae dicuntur, quia bis post Christi Resurrectionem acceperunt Spiritum Sanctum: primo in terra, ut diligeretur proximus, secundo e caelo, ut diligeretur Deus. In Christi Resurrectione firmitatem, in Spiritus Sancti missione robur indeficiens acceperunt.

Bases sunt nostri temporis praelati et praedicatoribus, in quibus debent esse sculpta ista quattuor: cherubim, leones, boves et lora. In cherubim plenitudo scientiae et doctrinae, in leonibus terror potentiae, in bobus mansuetudo misericordiae, in loris vincula disciplinae designantur. Sint, obsecro, in basibus templi haec sculpta, scientia scilicet doctrinae, ut doceant, terror

potentiae, ut corripiant, mansuetudo misericordiae, ut sustentent, vincula disciplinae, ut restringant. De his quattuor dicitur in quarto libro Regum, ubi clamabat Eliseus: *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius (4 Reg 2, 12)*. *Pater mi* ad docendum, *Pater mi* ad corrigendum, *currus* ad sustentandum, *et auriga* ad restringendum. Si haec quattuor Ecclesiae praelati et praedicatores in se sculpserint, vere illam abundantem iustitiam habere poterunt, de qua dicit Dominus in hodierno Evangelio: *Nisi abundaverit iustitia vestra etc.*

2. --- Nota quod in hoc Evangelio tria notantur. Primum, apostolorum iustitia, cum praemittitur: *Nisi abundaverit*. Secundum, fratri irascentis et ipsum vituperantis condemnatio, cum adiungitur: *Audistis quia dictum est antiquis*. Tertium, fratris fratri reconciliatio, cum subinfertur: *Si ergo offers munus tuum*. Cum his tribus clausulis quasdam tertii libri Regum historias concordabimus.

In introitu missae istius dominicae cantatur: *Dominus fortitudo plebis suae*. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: *Quicumque baptizati sumus etc*, quam volumus dividere in tribus particulis et cum tribus Evangelii clausulis concordare. Prima particula est: *Quicumque baptizati*. Secunda: *Hoc scientes quia vetus homo noster*. Tertia: *Scientes quod Christus resurgens a mortuis*.

I - De apostolorum iustitia

3. --- Dicamus ergo: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum*. Iustitia pharisaeorum fuit ut manus non animus cohiberetur. Unde Iudaei non credebant peccatum esse in cogitatione, sed tantum in operatione. Iustitia apostolorum spiritu consilii et gratia misericordiae Dei abundans est, non tantum ut manus a

malo opere, sed etiam animus cohibeatur a perversa cogitatione. Scribae et pharisaei, qui interpretantur divisi, sunt hypocritae, qui, in oculis hominum scribentes, iniustitiam scripserunt, et quidam superstitiosi religiosi, qui, se iustos reputantes, ceteros aspernantur. Istorum iustitia est in manuum et catinorum ablutione, in vestium compositione, in polita officinarum aedificatione, in multiplici institutionum et praeceptorum variatione. Iustitia vero vere poenitentium est in spiritu paupertatis, in amore fraternitatis, in gemitu contritionis, in afflictione corporis, in dulcedine contemplationis, in despectu terrenae prosperitatis, in dulci amplexu adversitatis, in proposito perseverantiae finalis.

De utraque illorum et istorum iustitia habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod *Elias dixit prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis; et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal, exaudi nos. Et non erat vox neque qui responderet. Transiliebant altare quod fecerant. Cumque esset iam meridies, illudebat eis Elias, dicens: Clamate voce maiore; dominus enim vester est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine (3 Reg 18, 25-28)*. Ecce qualis est iustitia pharisaeorum. De iustitia vero vere poenitentium qualis sit in sequentibus demonstratur. Elias, inquit, *aedificavit altare de lapidibus in nomine Domini, fecitque aquaeductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris; et composuit ligna, divisitque per membra bovem. Iussitque super holocaustum et super ligna semel, iterum et tertio aquam infundere. Et currebant aquae circum altare, et fossa aquaeductus repleta est. Et, completa oratione, cecidit*

ignis Domini, et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam quae erat in aquaeductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait: Dominus ipse est Deus (3 Reg 18, 32-33.35.38-39).

4. --- Hypocritae superstitiosi, prophetae Baal, qui interpretatur superior aut devorator, eligunt sibi bovem, idest carnalem appetitum. Hic est bos cornupeta, de quo dicitur in Exodo: *Si bos cornupeta fuerit ab heri et nudius tertius, et contestati sunt dominum eius, nec recludit eum, occideritque virum aut mulierem: lapidibus obruetur et dominum illius occident (Ex 21,29).* Bos cornupeta est carnalis appetitus, qui cornu superbiae interficit virum aut mulierem, idest rationem vel ipsius bonam voluntatem; quem quia dominus eius, idest spiritus, noluit recludere, idest refrenare, ipse cum bove occidetur, quia corpus cum anima aeternaliter punietur. Audiant etiam hoc abbates et priores, qui si bovem cornupetam, idest monachum vel canonicum superbum, vinolentum et luxuriosum, habuerint, et noluerint eum recludere, ne malo suo exemplo virum vel mulierem scandalizaverit, et bos lapidibus obruetur, quia ille in iniquitate sua morietur, et abbas vel prior, quia eum noluit recludere, aeternaliter punietur.

Sequitur: *Et invocate nomina deorum vestrorum etc.* Quot mortalia peccata habent, tot deos invocant et adorant, de quibus dicitur in Exodo: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Aegypto (Ex 32, 4).* Heu! quanti hodie sunt religiosi, qui deos quos adorabant in Aegypto, idest mundo, etiam adorant in deserto, idest religione vel claustro. Et quia carent igne caritatis, ideo horum sacrificium inutile est eis. De mane usque ad meridiem clamant dicentes: *Baal, exaudi nos.* Quid est ad Baal clamare, nisi superiorem esse appetere? Sed non est vox, neque qui respondeat eorum voluntati. Iterum etiam

clamant maiore voce. Clamare est desiderare. Incidunt se cultris et lanceolis, idest ieiuniis et disciplinis; exterminant facies suas, ieiunant primo vigiliam, ut postea possint celebrare ventris festivitatem. In tempore Eliae prophetae Baal clamabant et non exaudiebantur. Temporibus vero nostris clamant et exaudiuntur. In superiori gradu praeferuntur, ut lapsu graviore ruant. Prius erat vox humilis, habitus vilis, venter subtilis, facies pallida, oratio palam assidua. Modo vero minis intonant; incappati, infulati incedunt; praeambulo ventre vadunt, facie rubicundi; somnus assiduus; oratio nulla. Veniet, veniet Elias et comprehendet prophetas Baal, et interficiet in torrente Cison (Cf. Mt 6, 16). Veniet Salomon et interficiet Adoniam, qui regnare voluit, et Semei, qui David maledixit, et Ioab, qui duos principes Israel, se meliores, interfecit (Cf. 3 Reg 2, 31-32).

5. --- Sequitur de iustitia poenitentium. *Elias aedificavit altare* etc. Elias est poenitens, qui altare fidei, peccatis destructum, de lapidibus virtutum, reaedificat, in quo sacrificium laudis in odorem suavitatis offert. *Fecit aquaeductum* etc, ex contrito videlicet corde et humiliato spiritu, flumina producit lacrimarum pro timore gehennae et desiderio vitae aeternae. Ibi etiam componit ligna, quia sanctorum dicta et facta ad exemplum sibi assumit. Dividit etiam per membra bovem et ponit super ligna, cum omnes actus suos ad exemplum sanctorum patrum informare studet. Fundit etiam semel, iterum et tertio aquam super holocaustum et ligna, quia omni tempore cogitationes, verba et opera in conscientiae puritate et lacrimarum compunctione conservat. Et non prius cessat, quam fossae aquaeductus repleantur, idest donec futurum gaudium, praesenti moerori succedens, perfecte compleatur. Sicque erit iuxta illud quod sequitur: *Cecidit ignis de caelo et voravit holocaustum* etc. Quando discrimen superni iudicis, dicta ac facta et totam vitam nostram perfecte examinans, probando nos sicut igne

probatum argentum, immortales ac beatos factos, in sede collocabit perpetua, ut, ad instar Israelitarum, in aeternum gratulando canamus: *Dominus ipse est Deus.*

Talis est iustitia iustificans poenitentes, de qua dicit Dominus: *Nisi abundaverit iustitia vestra* etc. Nota quod iustitia est qua, recte iudicando, sua cuique tribuuntur; dicta quasi iuris status. Quinque tenetur quilibet exhibere iustitiam: Deo honorem, sibi ipsi cautelam, proximo dilectionem, mundo contemptum, peccato odium. Istitis quinque illa quinque respondent, quae in introitu hodiernae missae continentur: *Dominus fortitudo plebis suae, et protector salutarium christi sui est. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae, et rege eos usque in saeculum (Ps 27, 8-9).* Si Domino honorem exhibueris, Dominus erit fortitudo tua. Si tibi ipsi pro posse cautelam adhibueris, protector in salutem tibi erit. Si proximum dilexeris, salvum te et ipsum faciet. Si mundum contempseris, tibi benedicet, qui es eius hereditas. Si peccatum oderis, te reget, cum quo vives in saeculum saeculi.

6. --- Huic primae Evangelii clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim [sumus] cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus (Rom 6, 3-5).* Ecce quinque partita iustitia. Nota quod de latere Christi exivit aqua et sanguis: aqua baptismatis et sanguis redemptionis. Aqua propter corpus, quia aquae multae populi multi (Cf. Apoc 17, 15), sanguis propter animam, quia anima vivit in sanguine. Totum Deo demus ergo, qui totum redemit, ut totum possideret.

Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, idest in fide Iesu Christi, in morte ipsius, idest in sanguine ipsius, mundati sumus. Unde in Apocalypsi: Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (Apoc 1, 5). Nota quod sanguis extractus de latere columbae abstergit maculam sanguinis ab oculo. Ipsi ergo honorem et reverentiam, quidquid sumus, quidquid possumus exhibere debemus, qui maculam sanguinis, idest peccati, abstersit a nostrae animae oculo sanguine suo. Columba nostra Iesus Christus, felle carens, gemitum et planctum pro cantu promens, latus suum aperiri voluit, ut sanguinis maculam caecis abstergeret, et exulibus portam paradisi aperiret.

Nobis etiam cautelam exhibere debemus. Unde sequitur: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, idest vitiorum mortificationem. Sicut enim Christus, dolorem crucis sustinens, membra distenta et confixa habuit, in sepulcro quievit, humanis aspectibus subtractus fuit, sic nos, crucem poenitentiae sustinentes, membra confixa per continentiam habeamus, ne ad priora redeamus, a quibus ita perfecte quiescamus, ut nec eorum visio nec memoria habeatur.*

Item proximo exhibere debemus dilectionem. Unde sequitur: *Ut quomodo surrexit Christus etc. Sicut Christus, resurgens a mortuis, discipulis apparuit, eorum tristitiam in gaudium convertit, sic nos, a mortuis operibus resurgentes in gloriam Patris, proximis congaudeamus, cum ipsis in vitae novitate ambulemus. Et quae est vitae novitas, nisi proximi caritas? Mandatum, inquit, novum do vobis, ut diligatis invicem (Io 13, 34). Et in Levitico: *Novis supervenientibus, vetera proicietis (Lev 26, 10), quae sunt irae, invidiae et cetera, quae numerat Apostolus (Cf. Gal 5, 20-21).**

7. --- Item mundo contemptum et peccato odium

exhibere debemus. Unde sequitur: *Si enim complantati* etc. Si enim de pomario Babyloniae, in quo falsi iudices Susannam invenerunt, transplantati fuerimus, et in horto sponsi, in quo ipse fuit sepultus, complantati fuerimus, tunc vere mundum contemnemus. Et quia ex contemptu mundi nascitur odium peccati, ideo addidit Apostolus: *Similitudini mortis eius*. Ubi mortis Christi similitudo, ibi peccati abominatio. Unde in Canticis: *Fuge, dilecte mi, assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum (Cant 8, 14)*. *Fuge, dilecte mi*, ecce mundi contemptus. Unde in Ioanne: Cum vellent Iesum rapere et eum regem constituere, fugit in montem (Cf. Io 6, 15). Qui, cum quaereretur ad mortem, se quaerentibus obviam venit (Cf. Io 18, 4). *Fuge ergo, dilecte mi*. Dicitur in Exodo, quod Pharaeo *quaerebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, et sedit iuxta puteum (Ex 2, 15)*. *Fuge et tu, dilecte mi*, quia diabolus quaerit te interficere; et habita in terra Madian, quod interpretatur de iudicio, ut terram tuam iudices, ne a Domino iudiceris; et sede iuxta puteum humilitatis, de quo hauries aquam in vitam aeternam salientem (Cf. Io 4, 14). *Fuge ergo, dilecte mi*. Habes in Genesi quod dixit Rebecca ad Iacob: *Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. Nunc ergo, fili, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran; habitabisque cum eo (Gen 27, 42-44)*. Esau pilosus est mundus multis vitiis plenus. Hic minatur occidere te, fili. *Fuge ergo, dilecte mi*, ad Laban, quod interpretatur dealbatio, idest Iesum Christum, qui super nivem te dealbabit a peccatis, qui est in Haran, quae interpretatur excelsa, et ibi habitabis cum eo, quia in excelsis habitat Dominus. *Fuge ergo, dilecte mi*.

Assimilare capreae hinnuloque cervorum. Caprea dicta, quasi ardua capiens, acutum visum habet, ad alta nititur. Hinnuli, filii cervorum ab innuere dicti, quia ad nutum matris absconduntur. Per ista duo Iesus Christus,

Deus et homo, intelligitur. In caprea, eius divinitas, quae omnia videt; in hinnulo, eius humanitas, quae, ad nutum suae matris, negotium, quod iam inceperat duodennis, usque ad triginta annos distulit, et venit cum illa Nazareth, et erat subditus illi (Cf.Lc 2, 51). Hic hinnulus dicitur cervorum, idest patrum antiquorum, e quibus carnis traxit originem. Assimilare ergo, dilecte mi, huic capreae, huic hinnulo, ut similitudini mortis eius complantatus, ascendere valeas super montes aromatum. Hoc est quod dicit Apostolus: *Simul et resurrectionis erimus*. Montes aromatum sunt excellentiae virtutum, quas qui habuerit, in generali resurrectione cum Christo gaudebit.

Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut operibus iustitiae abundare nos facias, quatenus mundum contemnere, similitudinem tuae mortis in nobis praeferre, in montes aromatum conscendere et tecum in gaudio resurrectionis gaudere valeamus. Te prestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II - De condemnatione fratri irascentis et ipsum vituperantis

8. --- Sequitur secundum. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis (Mt 5, 21-22)*. Mandatum Christi non est contrarium legi, sed latius legem in se continens. Qui non irascitur non occidit, sed non contra: licentia irascendi, causa homicidii. Tolle iram, et homicidium non fit. Ira est omnis malus motus ad nocendum; subitus autem motus, cui non consentitur, propassio est. Accedente consensu, passio est, mors in domo.

***Omnis qui irascitur fratri suo* etc. Gradus sunt in istis peccatis. Primo est irasci et hunc motum animo retinere. Plus est si vocem commotio ipsa vel ista extorsit, qua feriatur ille cui irascitur. Plus etiam si certa vituperatio increpuit. Similiter gradus, in poena. Nam minus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur et est defensionis locus. Plus est concilium, quando iudices inter se conferunt, quo supplicio damnent, quem constat esse damnandum. Plus est etiam gehenna, ubi nulla sententiae dilatio. Et ita quod propriis et certis modis exprimi non potuit, quibusdam similitudinibus distinctum est. His tribus, iudicio, concilio, gehenna, diversae mansiones in aeterna damnatione, pro modo peccati, singulariter exprimuntur.**

Nota quod inter iram et iracundiam hoc distat: ira enim praesens est, et ex causa nascitur; iracundia vero vitium naturale vel perpetuum. Iracundus dictus, quod accenso sanguine in furorem compellitur. *Ur* enim graece, *flamma* latine dicitur, et ira in flamma est. *Raca* verbum hebraeum, et interpretatur *cenos*, idest vacuus aut inanis; quem, vulgata iniuria, absque cerebro possumus dicere. Qui ergo hoc dixerit fratri, qui Spiritu Sancto plenus est, luiturus est poenam iudicio sanctorum iudicum. Fatuus est qui neque quod ipse vel alii fantur intelligit. Stultus vero hebes corde.

9. --- Super his tribus habes concordantiam in tertio libro Regum, ubi dicitur quod Salomon interfecit Adoniam, Semei et Ioab. *Adonias filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currum et equites, et quinquaginta viros, qui ante eum currerent (3 Reg 1, 5).* Per Adoniam, qui interpretatur Dominus dominans, intelligitur iracundus, qui tamquam dominus aliis vult dominari. Hic est filius Haggith, quae interpretatur meditatio. Ex meditatione enim perversa nascitur iracundia, qua peccator elevatur, dicens: *Ego regnabo.*

Quanta stultitia! Qui seipsum nondum bene regere novit, aliis praeesse cupit.

***Fecitque sibi currum* etc. Currus linguam, equites verba, quinquaginta viri quinque corporis sensus significant. In maledicto volubilis linguae curru, gladio subnervando, igne comburendo, peccatoris animus effertur, cum ira succenditur. Currunt et discurrunt verba, tamquam equites impugnantia. Obediunt etiam quinque corporis sensus, felle iracundiae infecti: in oculis obscuritas, in auribus surditas, in manibus est crudelitas, et sic de singulis. Hic est ille homicida Zamri, de quo dicitur in tertio libro Regum, quod *ingressus palatium, succendit se cum domo regia; et mortuus est in peccatis suis, quae peccaverat, faciens malum coram Domino (3 Reg 16, 18-19)*. Zamri interpretatur iste lacessens vel amaricans, et significat iracundum, qui se et domum regiam, idest animam suam, regio sanguine emptam, igne iracundiae succendit; et sic peccans mortaliter moritur coram Domino. Unde recte iracundus per basiliscum designatur.**

Et nota quod basiliscus est serpens semipedalis longitudine, singulare malum in terris, qui flatu suo extinguit herbas, necat arbores, animalia et cetera occidit et incendit; ipsas etiam auras corrumpit, ita ut in aere nulla avium impune transvolet, infecta spiritu pestilenti. Sibilum etiam eius serpentes perhorrescunt, et cum acceperint fugam, quaeque quoquo possunt properant. Quidquid morsu eius occiditur non depascitur fera, nec attrectat ales. A mustelis tamen vincitur, quas illic homines inferunt cavernis, in quibus delitescit.

Sic iracundiae veneno aliquis huius saeculi potens infectus, quasi basiliscus suae flatu malitiae extinguit herbas, idest pauperes; necat arbores, idest huius saeculi divites, mercatores et usurarios; animalia, idest suos

domesticos, occidit et incendit. Ipsas etiam auras, idest vitam religiosorum corrumpit; ponit in caelum os suum et lingua eius transit in terram (Cf. Ps 72, 9). Sibilum eius etiam serpentes, idest amici et socii, eius malitiae conscii, perhorrescunt. Cuius cum incanduerit ira, quilibet fugam petit, quocumque, etiam porcorum stabulo, se abscondere properantes. Iste tam ferus dominus, tam a seipso alienus et spiritu diabolico inflammatus, a mustelis, idest pauperculis spiritu, qui eum non timent, quia nihil habent quod perdant, vincitur. Quos homines, humo pecuniae onerati, illuc accedere non audentes, inferunt cavernis, in quibus delitescit. Loquimini, inquiunt, ei, quia nos non audemus.

Item, per Semei, qui maledixit David, intelligitur ille qui dicit fratri suo: *Raca*; per loab, ille qui dicit fratri suo: *Fatue*. Istos tres interfecit Salomon: Adoniam, quia regnare voluit, ecce ira; Semei, quia David maledixit, ecce *raca*; loab, quia meliores se gladio occidit, ecce qui fratri suo *fatue* dicit, quem gladio linguae percutit. Heu! quam saepe in his tribus mortaliter peccamus, et raro aut numquam confitemur!

10. --- Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum eo (Rom 6, 6-8)*. Nota quod in hac particula ter ponitur peccatum; quod triplex cum in nobis destruitur, illa tria - qui irascitur, qui dixerit *raca* et qui *fatue* - in nobis destruuntur; tunc enim corpus peccati, idest congeries criminum, utpote irae et invidiae, dominante ratione, destruitur. Si vetus homo noster, idest animi impetus, clavis divini timoris crucifigitur - quo crucifixo -, ultra non serviemus peccato, scilicet indignationis, quia contra fratrem nostrum non

indignabimur, sed in ipso Christum crucifixum venerabimur. Qui enim mortuus est, idest mortificatam habet voluntatem, iustificatus, idest iustus et liber, est a peccato illo; scilicet qui dixerit fratri suo *fatue*. Cessante enim causa, cessat et effectus.

Deprecemur ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut a corde nostro iram auferat, tranquillitatem conscientiae nobis tribuat, qua proximum corde et ore et opere diligere, et ad ipsum, qui est pax nostra, valeamus pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III - De fratris fratrl reconciliatione

11. --- Sequitur tertium. *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum (Mt 5, 23-24)*. Altare dictum, alta ara. Ara dicta, quod victimae ibi ardeant.

Nota quod quadruplex est altare: superius, inferius, interius et exterius. Superius est Trinitas, de quo dicit Dominus in Exodo: *Non ascendas per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitude tua*. In Trinitate enim non sunt faciendi gradus, ut Pater maior Filio, vel Filius minor Patre, vel Spiritus Sanctus credatur minor utroque; sed aequaliter et simpliciter est credendum. Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. *Ne reveletur turpitude tua*, sicut revelata fuit Arii, qui, effusis visceribus, turpiter vitam suam finivit, eo quod ad altare per gradus ascendere voluit.

Altare inferius, Iesu Christi humanita, de quo ipse dicit in eodem Exodo: *Altare de terra facietis mihi*. Altare de terra Iesu Christo facit, qui eum veram carnem de

Virgine Maria, quae fuit terra benedicta, accepisse credit.

12. --- Altare interius est devotio mentis, de quo loquitur Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: *Facies altare in adolendum thymiama, de lignis Setim, habens cubitum longitudinis et alterum latitudinis, et duos cubitos in altitudine; cornua ex ipso procedent. Vestiesque illud auro purissimo (Ex 30, 1-3)*. Setim est genus spinarum, e quibus lignum imputribile est, quae ligna quanto accenduntur tanto duriora efficiuntur. Ligna Setim sunt cordis cogitationes, quae in se tria debent habere, scilicet ut sint tamquam spinae, peccatorum recordatione cor pungentes, ut sint imputribiles, idest suggestioni pravae non consentientes, et quanto igne tribulationis accenduntur, tanto in proposito sint firmiores.

De talibus lignis fit altare Domino *habens cubitum* etc. In longitudine, perseverantia; in latitudine, amor proximi; in altitudine contemplatio Dei designatur. Cubitus naturalis ad digitorum summitatem a cubito usque protenditur, quali Moyses arcam et altare mensuravit. Cubitus dictus, quod ad cibos sumendos ipso procumbamus, quia in eo est manus. In cubito recta operatio designatur. Altare ergo, idest mentis devotio, debet habere rectam operationem in longitudine perseverantiae quoad se, in latitudine caritatis quoad proximum, in altitudine contemplationis duos cubitos, idest duplicem perfectionem, quoad Deum, ut perseverantiae longitudinem, caritatis supernae latitudinem, ad ipsum referamus, a quo est omne bonum quod habemus.

Hoc altare debet vestiri auro purissimo. Vestis devotae mentis est munditia aureae castitatis. Vestis dicta, quod statum hominis proprium vehit; sic munditia castitatis vehit statum mentis. Per inflexibilitatem enim

castitatis cognoscitur rectitudo mentis. Ab hoc altari ascendit fumus incensurum intra sancta sanctorum, ubi est arca recondita. Ex compunctione enim mentis ascendit fumus thymiamatis, idest purae orationis, et pervenit ad caelum *ubi Christus est in dextera Dei sedens (Col 3, 1)*.

13. --- Item, altare exterius est carnis afflictio, de qua locutus est Dominus ad Moysen in Exodo, dicens: *Facies altare holocausti de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quattuor angulos ex ipso erunt, et operies illud aere (Ex 27, 1-2)*. Holocaustum dicitur ab *holon*, quod est totum, et *cauma*, quod est incensio; inde holocaustum quasi totum incensum dicitur, quia integra tota hostia igni tradita consumebatur. Altare holocausti est corpus nostrum, quod totum igne poenitentiae debemus incendere et ipsum in holocaustum Domini offerre; quod debet fieri de lignis Setim, idest membris luxuria incorruptis.

Debet etiam habere quinque cubitos tam in longitudine quam in latitudine et tres in altitudine. In quinque cubitis, quinque plagae corporis Iesu Christi; in tribus, tres vices quibus fleuit, idest super civitatem Ierusalem, super Lazarum et in sua Passione, designantur. Nota quod crux verae poenitentiae habet longitudinem perseverantiae, latitudinem patientiae, altitudinem spei paternae. In hac cruce crucifigamus corpus nostrum quinque plagis corporis Iesu Christi, quinque sensuum miserabilem delectationem mortificantes, pro perpetrata iniquitate, pro proximi scelere, pro gloriae dilatione plangentes et dolentes.

Quattuor cornua in altari thymiamatis et holocausti sunt quattuor virtutes principales, animam et corpus decorantes, de quibus dicitur in libro Sapientiae: *Sobrietatem et sapientiam docet et iustitiam et virtutem,*

idest fortitudinem *quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Hoc altare praecipit Dominus cooperiri aere. In aere, quod sonorum est, intelligitur afflictio gemitus et doloris, quibus debet cooperiri corpus poenitentis.

14. --- Istud est quadruplex altare, de quorum quolibet potest intelligi quod dicit Dominus in hodierno Evangelio: *Si ergo offers munus tuum ad altare* etc. Nota quod sicut quadruplex est altare, ita quadruplex est munus et quadruplex est frater noster: est munus orationis, fidei, poenitentiae et eleemosynae. Frater noster dicitur quilibet proximus: Christus, angelus et noster spiritus. Si ergo offers munus orationis ad altare sanctae Trinitatis, et ibi recordatus fueris quod frater, idest proximus tuus, habet aliquid adversum te, si ipsum dicto vel facto laesisti, vel si quidquam mali in animo contra ipsum geris; si remotus est, vade, non pedibus sed animo humili te ei prosternas, in conspectu illius, cui oblaturus es; si vero praesens est, vade passibus pedum, veniam petendo.

Item, si offers munus fidei ad altare Humanitatis Iesu Christi, idest credis eum veram carnem de Virgine accepisse, et ibi recordatus fueris quod ipse frater tuus, qui tuam naturam pro te accepit, habet aliquid adversum te, idest recordare si es in mortali peccato; dum enim confiteris vocis sono, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de fide mortua, et vade prius reconciliari per veram poenitentiam fratri tuo, Iesu Christo.

Item, si offers munus poenitentiae ad altare, idest carnis macerationem, et ibi recordatus fueris quod frater, idest spiritus tuus, habet aliquid adversum te, idest, cum corpus affligis, recordare si spiritus tuus aliquo vitio maculatur, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiritum tuum ab omni iniquitate, et sic veniens offeres munus tuum.

Item, si offers munus eleemosynae pauperibus, et ibi recordatus fueris quod frater tuus, idest angelus, gratia, creatione, qua et tu creatus, tibi a Deo commissus, ut orationes et eleemosynas tuas deferat in caelum, habet aliquid adversum te, idest conqueritur adversum te, quia, dum bona tibi suggerit, aurem obedientiae avertis, relinque ibi munus tuum, idest noli confidere de eleemosyna tua sicca, sed prius vade passibus amoris reconciliari per obedientiam angelo admonitionis, qui datus est tibi in custodem, et tunc veniens offeres per manus ipsius munus tuum, Deo acceptabile.

15. --- Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Scientes quod Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro (Rom 6, 9-11)*. Si subtiliter volueris inspicere in hac particula, quattuor supradicta altaria poteris invenire. Cum enim dicit: *Christus resurgens*, ecce altare Trinitatis. In hoc nomine *Christus*, ipse Filius resurgens; Pater per cuius gloriam, ut superius dictum est, Christus resurrexit: *Mors illi ultra non dominabitur*, quia vivens vivit Deo; *Spiritus Sanctus enim est, qui vivificat (Io 6, 64)*. *Et hi tres unum sunt (1 Io 5, 7)*. Cum vero addit: *quod enim mortuus est*, ecce altare humanitatis, quae pro peccato nostro mortua est semel in altari crucis. Cum autem adiungit: *ita et vos existimate vos mortuos esse peccato*, ecce altare holocausti, idest afflictio corporis mortificati.

Quod sequitur: *viventes autem Deo*, ecce altare thymiamatis, idest devotio mentis, quam qui habet vere Deo vivit, *in Christo Iesu Domino nostro*.

Per quem rogamus te, Pater, quem fecisti propitiationem pro peccatis nostris (Cf. 1 Io 4, 10), ut per

ipsum munera nostra suscipias, gratiam tuae et fraternae reconciliationis nobis tribuas, qua reconciliati in altari aureo, quod est in caelesti Ierusalem munera laudis cum beatis angelis tibi Deo valeamus offerre. Te praestante, qui es trinus et unus Deus benedictus per aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen. Alleluia.